

Franciam facturi. Ecce autem repente inexpectatus obex. Ea navis erat Potrincurtii, nobilis Galli: duobus tamen mercatoribus Calvinianis obnoxia, utpote qui sumptus non leves ad illam armamentis instruendam fecerant. Isti simul atque imponendos in hanc homines Societatis audierunt, negant enimvero se passuros ut è portu solvat. Opponitur imperium Reginæ, mandata ingeminantur. Respondent per se non stare quin sacerdotes alii quilibet admittantur; at sibi cum nostris hominibus nihil esse rei velle. Ubi vidit Cotonus improborum pertinciam frangi non posse, alia rem aggressus est via. Erat matrona non pietate minus quàm genere nobilis, Antonia Guerchevillæa. Hæc negotium Missionis haud secus procurabat, ac suum: